



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

186. Quot esse debeant examinatores synodales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

Trid. binis inter alias (quas quoque legere est apud Garc. n. 219. & 220.) declarationibus. Prima sic habet: *beneficia curata, quorum reditus adeo exigui sunt (specificatur hæc tenuitas in alia ejusdem congregationis declaratione. ad cit. c. 18. nempe fructus non excedentes 24. ducatos auri de camera) ut ea nullus idoneus requirat (& vel hinc nullus compareat) vel comparent in concursu presbyteri, ita rudes, ut neque vulgarem linguam calleant, Sanctiss. D. N. (scil. Gregor. XIII.) ex sententia Congregationis dixit (potius quam ut permittantur diu vacare) esse conferenda illis, quos inter omnes majoris literaturæ esse cognoverit Episcopus, eosdemque amplius erudiri curabit; ubi verò ob Dominos temporales, vel aliam justam causam concursus non esset liber, & fructus parochiales essent pingues, dicit, ponendos Vicarios, donec confervi possunt magis idoneis servatâ formâ Trid. Secunda declaratio sic habet: *Si Episcopus semel editum proposuit per concursum, & ex multis examinatis nullus repertus sit idoneus, licet Concilium non videatur necessario requirere editum per concursum, fuit tamen tutius judicatum aliud editum proponi, ut supra, & si nemo comparuerit idoneus, tunc alicui prævio examine sine concursu beneficium conferatur.**

Questio 186. Circa numerum Examinatorum synodaliū, quot eorum esse debeant?

Respondeo: in synodo constitui possunt plures, non tamen nimis multi, v. g. plures quam 20. Corrad. l. 3. c. 3. n. 29. citans Barb.) ad minimum autem 6. constitui debent, ita ut si pauciores deputati sint, non solum hujusmodi deputatio, sed & deinceps examen concursus habitum, etiam ab eorum tribus vel quatuor, sit nullum, quia vel hoc ipso factum contra formam à Tridentino præscriptam. Corrad. *ibidem*. Garc. p. 9. c. 2. n. 66. Quin etiam licet Examinatores maneat, donec in subsequente synodo deputentur novi, etiam si hæc synodus ultra annum differatur. Garc. n. 73. (neque enim pro forma requiritur, ut Examinatores singulis annis deputentur in synodo, modò post annum maneat saltem 6. Garc. n. 75. hoc ipso tamen, quo interea tot moriuntur, vel alio commigrant, ut non maneat amplius numerus senarius, aliorum quoque superstitum munus expirat. Corrad. *loc. cit.* n. 35. citans pro hoc Barb. & elaram S. Congreg. declarationem. Proinde non solum eligendi in synodo alii loco mortuorum, sed etiam de novo eligendi illi, qui supererant, vel alii loco illorum. Garc. n. 74. ubi etiam indicare videtur, satis esse, quòd qui supererant, relinquuntur, non sufficiens alios in illorum locum, uti videantur relinquui, si solum in locum mortuorum sufficiantur alii.

Questio 187. Quid igitur faciendum, ubi intra annum à celebrata synodo mortui, vel aliò commigrarint omnes 6. illi Examinatores, aut eorum aliqui; interea verò vacet parochia aliqua per concursum conferenda intra eundem annum?

Respondeo: in primo casu posse Episcopum per seipsum absque celebratione synodi, adhibito tamen consensu Capituli, deputare alios Examinatores, non tamen pauciores quam sex, & ex iis dein eligere tres ad minimum ad examen concursus secum perficiendum. Corrad. *Lehren. Fori Benef. Pars 1.*

*rad. lo. cit. sub n. 35. Lott. l. 2. q. 31. n. 71. Relaxatur enim rigor juris, ubi ob impossibilitatem (qualem in dicto casu facit necessitas illa præcisa, seu cui aliter opportunè succurri non potest, dum ex una parte collatio parochiæ moram non patitur; ex altera verò Episcopus non teneatur, ut Lott. n. 72. vel etiam non possit intra eundem annum bis habere synodum, ut Garc. n. 71. & Corrad. n. 35. & etiam tantisper, donec synodus habeatur, alium examinatore synodalem substituere nequeat, ut habet S. Congreg. apud Garc. n. 81.) servari non potest, & ubi forma exacta impleri nequit, sufficit actum fieri eo modo, quo potest. Tiraq. de legibus connub. gl. 16. n. 6. Paris. l. 7. q. 5. n. 19. apud Garc. num. 71. ac per consequens jam non servatâ formâ illâ aliàs per Trid. præscriptâ, quoad assumendos Examinatores non nisi ex iis, qui in synodo ab Episcopo electi, & ab eadem synodo approbati, nõ vitiat secutum examen. Corrad. *loc. cit.* Paris. *loc. cit.* n. 17. allegans alios. Illud nihilominus vi decreti Clem. 8. quod per modum responsi & rescripti datum Episcopo Civitateni recitant Corrad. *loc. cit.* Leo in thes. fori Eccl. p. 2. c. 3. n. 25. Massob. in praxi habendi concursum requisito. 12. d. 3. servandum Episcopo, ut Examinatores illos defumat ex antiquis Examinatoribus synodalibus, sive qui in anterioribus aliquando synodis fuere deputati Examinatores, si superfint; & si non superfint, amplius sex eorum, sumat quotquot eorum superfint, addendo illis de novo tot alios, ut numerus senarius compleatur; & si nulli ex illis antiquis superfint, omnes novos assumat. Porro si post annum à celebrata synodo defectus est Examinatorum synodalium, id jam imputabitur Episcopo, agétque is jam formaliter contra formam à Tridentino decretam, & consequenter irritus erit concursus, cum elapso anno à celebrata synodo, Episcopus mox possit & debeat habere novam synodum, & in ea constituere Examinatores. Lott. *loc. cit.* q. 31. n. 73. Garc. *loc. cit.* n. 92. Corrad. *loc. cit.* citans Barb. de potest. Episc. in addit. ad alleg. 60. n. 49. proceditque id ipsum, etiam si elapso anno isto Episcopus novus primò advenisset, cum tempus, nimirum annus, habendi synodum non currat à die obtenti Episcopatus, sed habitæ ultimò synodi. Corrad. *ibid.* Garc. n. 93. Unde jam, licet Examinatores semel deputati in synodo, quamdiu eorum adhuc superfint 6. maneat, munusque suum exercere possint, donec synodus alia celebretur, etsi hæc ultra annos aliquot differatur, contra quod præcipit Tridentinum, Corrad. *loc. cit.* si tamen deficiente eorum numero senario elapso anno, Episcopus assumat reliquos de novo redintegrando, etiam dictum numerum per subrogationem aliorum novorum, absque habitâ nova synodo, in qua isti confirmati, & hi de novo deputati, concursus foret nullus. Corrad. *loc. cit.* citans Barb. verumtamen dicta Episcopi culpa & negligentia nullum præjudicium creat patronis laicis Ecclesiarum parochialium, præsentatisq; ab ipsis legitime, quoad jus ad rem per legitimam præsentationem iis quæsitum, dum hi examinati per Examinatores non synodales instituti sunt: etsi enim, ut habet resolutio Rotæ in una Casalensi parochialis 9. Novembr. 1597. coram Seraph. quam vide apud Garc. n. 95. & Corrad. *loc. cit.* invalida sit talis institutio ob non servatam formam Trid. præsentatio tamen valida fuit, præsentatòque verè quæsitum jus ad parochiam; quod ipsum censetur ei præservatum per clausulam: *modò non sit alteri**